



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV**

**Muret, Marc-Antoine**

**Antverpiæ, M. D. LXXXVI.**

Cap. 18. Cicero in oratione pro Sylla, locum quendam Demosthenis imitatus ostenditur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

expertus est, cum emendationem meam aliquot Lucretij locis confirmari videret, secutus quidem eam est: sed eius Lambinum fecit auctorem, a quo illa diu oppugnata, non me, a quo primum prolata erat. Sed hæc & leuia sunt, & a me ipso mirabiliter negliguntur. Aut non curanda gloria, aut ex grauioribus rebus petenda est.

*Cicero in oratione pro Sylla, locum quendam Demosthenis imitatus ostenditur.*

CAPVT XVIII.

**V**IDETUR Cicero duobus ex Oratione pro Sylla locis Demosthenicum quendam adumbras- se: qua in parte excusat se, quod in reo defendendo multa de seipso dicere cogatur: cuius sermonis impos- sitam sibi esse dicit ab accusatore necessitatem. nam & Demosthenes idem in defendendo Ctesiphonte dixerat: quem quomodo Latinus orator sit imitatus, vt appareat, vtriusque verba describam. Ita igitur De- mosth. *Εἰ μὲν ἐν αὐτῷ ἔδωκε μόνον κατηγορησέν Αἰχίνης, καὶ γὰρ αὐτῷ τὸ πρῶτον ἐπιλογίμω ἐπεὶ δὴ ἔτι ἐλάττω λόγον, τὰλλα διζήτων, ἀνάλωκε, καὶ τὰ πλείστα κα- τὰ δύναμιν ἀναγκαῖον ἐὶ νομίζω καὶ δίκαιον αἶμα, βραχέα, ὅ ἀνδρες Ἀθηναῖοι, αὐτῶτον πρῶτον εἰπεῖν.* Cicero autem: Et quoniam L. Torquatus, meus familiaris ac necessarius, iudices, existimauit, si nostram in accusatione sua necessitu- dinem familiaritatemq; violasset, aliquid se de auctoritate mea defensionis posse detrahere, cum huius periculi propul- satione coniungam defensionem officij mei. Post autem etiam apertius: Nam si Torquatus Syllam solum accusas- set, ego quoque hoc tempore nihil aliud agerem, nisi eum qui accusatus esset, defenderem. sed cum ille tota oratione in me esset inuectus, & cum, vt initio dixi, defensionem

D 5 meam

Ant. Mureti  
Varia Lectiones  
LIII  
25

meam auctoritate spoliare voluisset, etiam si dolor meus respondere non cogeret, tamen ipsa causa hanc à me orationem flagitasset.

Alius Ciceronis locus è Demosthene expressus.

CAPVT XIX.

SUMPTVM ex eadem illa Demosthenis oratione videtur & id, quod in secunda Philippica scriptum est: *Ut igitur in seminibus est causa arborum & stipitium: sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti.* Nam & ille cum Æschinem omnibus calamitatibus, quibus Athenienses conflictati erant, causam præbuisse dixisset, ita id confirmavit: *Ο γδ τὸ σπέρμα τῶν κακῶν ἐστὶν ἡ σὺ φώτων κακῶν αἴτιον.*

Theocriti ἀδωνιαζέως correctus & explicatus locus.

CAPVT XX.

NON puto me rem studiosis ingratam facturum fore, quanquam hic Latinorum præcipue scriptorum causa susceptus à me labor est, si non nunquam etiam Græcis opis aliquid afferre coner. iam pridem enim persuasum esse existimo omnibus qui versantur in litteris, sine Græci sermonis cognitione mancam omnem ac mutilam esse doctrinam, & qui eius expertes sint, ab eis ne Latine quidem scripta penitus percipi. nunc igitur Theocriti versus quosdam, quos neque satis emendatè scriptos circumferri, neque satis intelligi arbitror, quomodo scribendi, quoque modo accipiendi videantur, aperiam. sed primum eos describam ita, ut legantur:

Γ. Μὰ τὸδεν ἀνδρωτῶν, τίδ' εἰ κατ' ἰδαι εἰμὲς,  
Παράμηνθ' ἔπιπασε. σὺ γὰρ σίαις ἐπὶ τῶν αἰεῖς  
ἔλες εἰδ' ἡς χὶ τῶν. καὶ εἰδ' ἰδαι εἰμὲς ἀγῶδεν,

25 2